# QVÆSTIO MEDICA

# QVODLIBETARIIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. FEBRVARII,

## D. ROBERTO LE SECQ DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

*An viuentibus mori omnibus, naturâ & neceſſitate fatale?*



VT animæ, ſubſtantiâ in vnoquoq; ſimplicis, & vnius, facultatibus, quarũ ſola ipſa fons & origo eſt, variæ ac multiplicis, apto & inſtructo in corpore ἐνέργεια, vita eſt: ſic illius ab hoc deffectio, mors. Vt autem ad ἐνέργειαν præire, ſic ad vtriuſque copulam intercedere ignem oportet. Huius quippe mobilitate cuncta vigent: nec alius ab eius calore Cœleſtis eſt. Hic porrò aquam, alterum generationis in viuentibus principium, dum ex conditione propriæ naturæ, in pabulum, ſine quo ſupereſſe nequit, ne deſinat, continenter abſumit, ſibi ipſe deſinendi cauſa exiſtit. Ita viuere mori eſt, aut certè ad mortem eſt via vitâ. Quod ipſum ne æquò celeriùs, citiúſque fiat, prouida natura, alimenti ſubſidio, quod item ab aquâ omne aſciſcitur, proſpexit: atque, ita moriendi fatum diſtulit.



DISTVLIT, inquam, non effugit. Cum enim aſcita hæc aqua, adiuncta ſecum habet multa, quibus paſci vitæ ignis non poteſt; tum, quæ ipſius portio, eum in vſum ſeligitur, apparatu multo & longo opus habet: qui quidem, dum ipſius innati ignis operæ incumbit, illius ſic ſenſim vires atterit, vt paulatim, & aquam apparandi, & apparatâ vtendi, facultatem amittat. Hinc temperamẽti per ætates mutatio, ex quâ, aliæ, aliis & humoribus ſcatent, & morbis patent: exempli cauſa, puerilis, morbillis, nunquam pleuritidi. Hinc accreſcendi, conſiſtendi, & decreſcendi ſucceſſio: hinc denique, Coryzam ſenectus non coquit; ipſaque mucô, igni extinctionem minante, fœta, inediæ impatientiſſima exiſtit.



ENIMVERÒ fieri apparatu nullo, nullâ operatione poteſt, abſumptæ primigeniæ aquæ, ἐπίσακτος, omnino ſimilis. At eæ partes, quas ἔμφυτος ignis reſpuit, ni ſecretæ excernuntur, ipſum inficiunt, inficiendo diſperdunt. Cumque conſentanearum partium apparatus omnis triplex ſit, totidem coctionum, officinis ſeparatarum, operibus diſtinctus, eius omnem inde vim debilitari, impediri, & deprauari contingit. Continuò, fæcum in inteſtinis retentio, voluulum, excluſo chylo, quàm ſtercore, periculoſiorem, & διαῤῥοία nonnunquam ſanabilem, facit, Vertigines, caligines aliaque ſuperioris partis mala inuehit. Earundem corruptio, vermes, nunquam proletarios, gignit: quos & ſi βουλιμίας, Epilepſiæ, Syncopes, tàm ſtomachicæ, quàm cardiacæ, plerumque authores agnoſcimus: nihilominus tamen, in finem naturæ vtilem genitos & procreatos aſſerimus.



BILIS autem, in Cyſti ſuppreſſio, præterquam quòd & ipſa, reſtitare aluum ſinit, in lapillos nonnunquam concreſcit, arte nullâ, nõ magis quàm tophaceus veſicæ lapis, comminuendos, aut liquandos. Eiuſdem autem effuſio in fundum ventriculi ſi fiat, choleras, hauſta venena ſæpe mentientes parit: quas, quæcumque medicamenta accerſunt, naturę aduerſa ſunt: in habitum verò coporis, Icterum, cum fatuitate lethalem, inducit. Putrentis denique in inteſtina deriuatio, Dyſenterias, nec ſtypticis reprimẽdas, nec rubigine ferri (quam Crocodili recentes, impuræ Veneris & Mercurij furis alumni, crocum Martis appellant) attingendas. Eadem in venas ſi ſubit, in illiſque putreſcit, cùm febres, genus omne, tùm maxime καύσους accendit. Hos phlebotomia non curat: vitriolum quocunque modo ſumptum exaſperat: lactis ſerum mulcet.



ATRA verò bile, ſi ſanguis non emundatur, Elephanticum hominem reddit, nunquam, niſi ſuperueniente leprâ, ſanabilem; hebetis non minùs vitæ, quàm ſenſus. At illa ſi fortè in cutim refunditur, vitiliginem infert nigram. Eadem in liene putreſcens, tetrâ euaporatione, cordis παλμοὺς, animi, in ipſo corde mœrores: in cerebro errores excitat: quocumque autem ipſa appulerit & ſubſtiterit, cancros, medendo ægreſcentes, producit. Nec minùs excrementorum de ſingulis partibus contagio, morbos facere nata eſt. Et hæc enim ſimiliter vt illa, vt alienam qualitatem induunt, parteſve imbuunt, ad ventillandum ignem paſcendumque neceſſarias, aut σβέσιν inducunt, aut μάρανσιν accelerant.

*Ergo viuentibus mori omnibus, naturâ & neceſſitate fatale.*

PROPONEBAT ANTONIVS LE PLEGE INSVLADAMVS BELLOVACENSIS 1599.



Domini Doctores Diſputaturi.

*M. Iacobus d'Amboyſe Med. Reg.*
*M. Iacobus Couſinot.*
*M. Petrus Seguyn Prof. Reg.*
*M. Ioannes de Renou.*
*M. Petrus Pijart.*
*M. Nicolaus Iabot.*
*M. Bartolomæus Perdulcis.*
*M. Ioannes Martin Med. Reg.*
*M. Claudius Baſin.*